



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

4. Colligitur authoritatis pondus rationis præfatæ ex patribus, &
scholasticis disiectis testimoniis aduersis, & recitatorum tentatis
euationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

Augustino adducit distinctionem, necessitatis consequentis, & consequentis, & dubi. 3. post med. ex Epetio simplicis, & conditionalis. Masili. in 1. d. 40. eodem modo rem hanc post multos ambages tandem conciliat a. 2. ante 4. conclusionem & 3. p. art. supposit. 6. exemplo Boëtiano visionis praesentium: & sine quaestione ad rationem 5. arguit: *Deus scit Socratem peccaturum cras: ergo peccabit cras.* Respondet, in potestate Socratis esse facere, ut nunquam fuerit verum illud antecedens: quia in potestate Socratis est non peccare: quod si non peccaret, hoc antecedens non fuisset verum: quia addit in potestate eius est, ut nunquam fuerit vera propositio peccabit cras: ac proinde, nec fuerit in Deo, & concludit. 7. applicat huic solutioni distinctionem modalis compositae, & diuisae, & necessitatis consequentis, & consequentis. Bassolis in 1. d. 40. a. 13. ad rem hanc utitur distinctione necessitatis absolutae, & conditionatae, atque in sensu composito, & diuiso: quia potest absolute non peccare, ac diuidero subinde, & impedire praesentiam. Hac utraque distinctione sensu eodem ad rem hanc utitur Nicolaus Orbellis in 1. d. 39. a. 2. & d. 40. a. 2. Glossa 23. q. 4. c. Valisra 23. 8. Non ergo, distinctione vero consequentis, & consequentiae eo ipso sensu vltus est Enchir. Colon. Christian. instit. tract. de Sacram. panis. prope rit. de confess. cap. paucis tantum, licet enim dixisset, quia sua natura necessaria non sunt, necessario sequi propter praecedentes causas. Scilicet praesentiam, & praedestinationem: de praedestinatione in tempore intelligit, & causis illationis, & consequentiae, non futuritionis, & existentiae contingentium, quas illas esse negat, subdit enim: *licet Deus praesciuerit hominem casurum, non tamen per hanc praescientiam homini naturaliter illud donum, quod creando impertit ademit, aut ut se ageret coegit, aut impulit; & hinc cap. Oportebat impleri Scripturam de Iuda. Nam, cum Deus prauidisset malam Iudae voluntatem hoc impium facinus patraturum: id ipsum per Prophetam futurum praedixit.*

9. Consequenti Valdensis, & Armacanus qui 16. de quaestione Armenorum cap. 5. init. Praesentia Dei non magis imponit necessitatem rebus futuris, in quantum est sola praesentia, quam mea praesentia faceret, Reddit, rationem, quia Dei praesentia in quantum huius non est causa rerum, sed potius ipsam esse praesentiam, est posterius ratione causali quam res esse futuras. Et c. 14. distinctione sensus compositi, & diuisi praesentiae, & praedestinationis necessitatem cum futurorum libertate concordat. Henricus de Gandauo quodlib. 4. q. 18. impossibilitatem non essendi futurum praesentium, ac praedestinatum cum eius contingentia componit, quia est impossibilitas non essendi, ex eo quod sit, ut ille (inquit) quem video stare, potuit cecidisse illo tempore, quo stetit: & tamen non sunt possibilia simul quod eum videam stare, & quod eodem tempore corruat, in quo video eum stare: Durand. in 1. d. 38. q. 3. a. 3. a. num. 20. praesentiam cum libertate conciliat: quoniam Deus scit infallibiliter, quae possunt determinare liberum arbitrium, & quae determinabunt, & quae possunt impedire quaecunque causam impedibilem, & quae impediunt. Sensulque compositi, & diuisi distinctione ad hanc utitur concordiam: sicuti & d. 39. q. 1. num. 12. & ad concordiam praedestinationis d. 40. q. 1. u. 7. & 8. quibus non aduertatur cum ait: praedeterminatos esse homines, eorumque merita praedeterminata, & voluta à Deo esse ante horum absolutionem, ut docet d. 41. q. 2. fin. & d. 47. q. 1. num. 6. Gabriel ead. d. 38. q. v. u. a. 2. circa med. Okami doctrinam relata num. 32. sic declarat: Sicut nostra notitia intuitiva, quae euidenter cognoscimus verum contingens praesens, non addit ipsi contingentia aliterquam necessitatem: ita notitia euidentis, & infallibilis Dei rebus contingentibus futuris nullam necessitatem imponit: quia utique actu esse pro sua duratione futura praeposit: neque necessitatem, quae hinc non oritur, praesentiae admittit: utriusque ideo distinctione sensus compositi & diuisi: constat tam eo loco quam a. 3. dub. 8. & d. 39. fine: quia etiam distinctione ad rem praesentem utitur peruersus Doctor Michael de Bononia in 1. d. 29. q. vii. Driedo c. 3. de concord. Bachon. in 1. d. 40. a. 2. post med. & a. 4. praesentiae, & praedestinationis certitudinem cum futuri contingentis libertate conciliat: quia Deus respectu illius permittit se ad illud in ordine ad voluntatis determinationem, & praesentia supponit futurum

estque dependentem ab illo; unde ait esse inuitabile *concomitanter, conditionaliter*, Okam in 1. d. 38. q. vii. veritas, utrumque concordat, quia praesentia supponit futurum veritatem, ac si Deus ad illud non concurreret. Marcus Anton. Natte 9. de Deo pag. 6. quia Deus proprie, & respectu sui videt ea praesentia, non autem proprie futura: quare, nec magis necessaria illa reddit, quam nos cum aliorum libera opera videmus ex eadem praesuppositione actualis futuritionis, & existentiae contingentis pro sua duratione aeternitatis Dei coexistentis, & praesentis eius contingentiam cum praesentiae necessitate vnicuique concordari posse, docet fide Abulenensis in 1. Ioh. c. 7. 5. ad 78. & q. 36. in Marth. 18. verba illa: *necesse est, ut veniat sanctus datus.*

CERTAMEN IV.

Colligitur auctoritatis pondus rationis
praefata ex Patribus, & Scholasticis
disiectis testimoniis aduersis, & recitatorum tentatis euasionibus.

1. Ex quibus omnibus ad oculum, ut aiunt, patet omnium Patrum, & Scholasticorum (praeter paucos, nec primae notae Thomistas Recentiores) futura contingentia in se pro sua duratione existentia, ita necessario ad diuinam praesentiam supponi, ut eis pro sua duratione libere non possit, nullatenus praesentia fuissent, non autem e contra: quia ad eorum existentiam praesentia Dei de ipsis nullatenus natura, & causalitate praecedit: id quod contra praefatos Recentiores statuendum in praesentia propositum, plique nimio ab auctoritate hactenus probauimus. A ratione vero ostendi facile potest: quia praesentia, cuiusque intrinseca necessitas, ac infallibilis veritas, & certitudo contingens futurum, atque existens in se pro sua duratione non supponeret, sed natura potius ipsum anteciret, illius libertatem, & contingentiam aboleret: maxime, cum in horum Thomistarum sententia, sit proximum, & immediatum principium contingentis futuri subsequens voluntatem Dei, imperanteque illud ad executionem intimam illius voluntatis per ipsam, ut fuit in simili de praesentibus Dominicanis Recentiorum ostendimus sequenti controu. cunctis eorum euasionibus obturatis. Praesentem vero principium nihil à ratione est, quod negotij aliquid faciat: cum pure acquiescenti de praedestinatione durationis in praesentia, cum praecedentia causalitatis, & naturae innitatur. Ex qua acquiescenti, si quid, non admodum crassum, obici possit, etiam si diligemus. Alterum autem à ratione, & auctoritate simul obicitur: hoc siquidem principium, quia futurum est, praescit: proprie dici non posse Scholastici praecitati, alique expresse docent: videturque ei rationi inniti: quod diuina praesentia, quae diuina, neque causam habere sui, neque ab alio esse, aut dependere potest: id quod in nostris principiis, adhuc est vrgentius: omnem enim Dei dependentiam à creaturis, etiam in statu possibilitatis, qui contingens non est, non solum, tanquam à causa, sed adhuc tanquam à termino connexionis obligauimus controu. 1. atque adeo, ne Dei quidem potentiam, diuinumque quoddam attributum, aut praedicatum creaturis connexionem possibilibus, ab eoque, tanquam à termino sui dependens admireremur, citius ergo praesentiae diuinae dependentia haec à futuris contingentibus, & defectibilibus, absolute adhuc, tanquam à termino connexionis deneganda est. Ab hac difficultate, licet connotantes Doctores, perque per extrinsecam connotata actus liberos Dei constituentes, facile se expediunt, secus nos, qui semper eam sententiam fuimus excoli.

2. Accedit Patrum auctoritas, qui expresse eam causalem, atque ob proximam rationem, videntur abicere: exemplo sint Augustinus 15. de Trinitate cap. 13. dicens: *variis creaturas, & spirituales, & corporales, non quia sunt iudicantur: sed ideo sunt, quia nunt.* Non enim

rescitur, quæ fuerat creaturus: quia ergo sciuit crea-
re, non, quia creauit sciuit: nec aliter sciuit crea-
re, quam creanda. Non enim eius sapientia aliquid necesse
ex eis: sed illa existens, sicut oportebat, & quan-
do oportebat, illa mansit ut erat: ubi & rationem Theo-
logicam nuper à nobis oppositam attingit, hisque, quæ
dixit & de Trinitate, c. 10. conuenit: [Cum decedant,
& succedant tempore, non decedit aliquid, vel succe-
dit scientia Dei: in qua nouit omnia, quæ fecit per
ipsum. Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur à
Deo, quia facta sunt: sed potius ideo facta sunt, quia
immutabiliter à Deo sciuntur.] Gregorius 10. Moral. c.
23. vel 24. quæ sunt, non ab æternitate eius ideo vi-
dentur, quia sunt: sed ideo sunt, quia videntur. Au-
gustinus rursus 5. de ciuitate cap. 9. fin. [Voluntates no-
stræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit,
atque præsciuit: & ideo, quicquid valent, certissime
valent, & quod facturæ sunt ipse omnino facturæ sunt:
quia valuerat, atque facturas ipse præsciuit, cuius præ-
scientia falli non potest.] Hinc S. Thom. 1. p. quæst. 14.
a. 2. ad 1. illud Origenis supra recitatum ita interpreta-
tur, [Locutus est, attendens rationem scientiæ, cui non
competit ratio causalitatis, nisi adiuncta voluntate; sed
quod dicit præscire Deum aliqua, quia sunt futura:
intelligendum est secundum causam consequentiæ, non
secundum causam essendi: sequitur enim, si aliqua
sunt futura, quod Deus ea præscierit: non tamen
res facturæ sunt causa, quod Deus sciat:] quo etiam
modo Origenem interpretatus fuerat Magister. 1. d.
38.

3. Respondetur testimonio vniuersim intelligenda
esse de vera, & propria causalitate, & dependentia
quam vique negant futuris respectu scientiæ diuinæ &
merito: quia, vt diximus à Deo ipso, vt obiecto spe-
cificationis vniuersi sui omniscientia euadit: quare recte
etiam dicit S. Thom. illud, quia non esse intelligendum
secundum causam essendi, sed secundum causam con-
sequentiæ: quia, si aliqua futura sunt sequitur à Deo
de se ipso omniscio illa cognoscenda fore; licet omni-
scientia, ne vlla quidem sui particula, ab eis cause-
tur, est illa terminatus; ac determinatus supponat:
quod solum ea causali, quia futura sunt præsciuntur
frequentissime repetita, tam hi Patres, quam S. Thom.
quam reliqui Patres & Scholastici contendunt: ex hoc
autem constat aliam oppositorum testimoniorum par-
tem, quæ scientia, seu præscientia Dei de futuris eo-
rum causa significatur: non, quia illorum præscientia
formaliter est à Patribus hisce intelligi: sed materiali-
ter, & specificatur, vt aiunt: quatenus eadem infecti-
lis adhuc formaliter in se omniscientia, quæ futuro-
rum, iamque pro sua duratione factorum, & supposi-
torum præscientia est, eorundem, vt possibile, &
pro priori naturæ faciendorum causa est: quippe quæ
ad causas eorum apponendas & disponendas, cum ipso
quæ concurrentium ad futurorum, pro cuiusque dura-
tione, effectiorem, vt eorum quodque statuat, ac de-
cernat diuinam dirigit voluntatem. Hoc totum expre-
ssus alius docuit Augustinus testimonio 1. verbis illis:
Non enim rescitur, quæ fuerat creaturus: quia ergo
sciuit, creauit, non, quia creauit sciuit. Nec aliter
sciuit creata, quam creanda. Et S. Thom. dum aiebat
scientiam Dei solum esse causam futuri, non secundum
se, sed, vt ei adiungitur voluntas, ad præscientiam
quippe Dei de futuro, quæ talem, Dei voluntas non
determinat, sed supponit. Ad rationem Theologi-
cam constat etiam ex dictis non asseri à nobis futu-
rum esse causam propriæ præscientiæ, sed solum, vt
determinatum, ac determinatum eius, quæ omni-
scientia independentem ab ipsis est, supponi: quippe,
et ea esse in se, pro duratione sua, requiritur, vt ad
ea omniscientia, atque infallibiliter vera omnirepræ-
sentatio extendatur: vnde ad instantiam è nostra do-
ctrina constat non admitti à nobis præscientiam Dei
concretam cum futuritione contingentium, neque hæc
esse terminos connexionis, aut connotationis intrinse-
cæ illius; sed solum esse terminos, sui determinati-
onem præsupposita, vt ad ea Omniscientia illa Dei, ab
Christoph. de Origen. de Deo vno, Tomus I.

ipsis omnino absoluta, & independentem, absque vilo
sui augmento extendatur: quia in re nulla maior,
aut alia difficultas est, quam in decreti liberi Dei
constitutione Catholico cuius diluenda, nec nisi in
Partia omnino fors ex aranda: eam tamen am-
plius, quam hæcenus cicurare, ac pro modulo no-
stro emolire conabimur controuersi. 4. ea de re ex in-
stituto disputantes: eo adeat lector. Neque enim
hic, vel indigne, ac ieiune tractanda, quæ pro-
priorem habent sedem vt pro dignitate tracten-
tur.

4. Explicatis testimoniis iuniores Thomistæ prin-
cipio huic tribus proximis certaminibus statuto, non
solum ipsum impugnare, sed, & datis pro illo testi-
monio satisfacere contendunt: vt eam causalem futu-
ri ad præscientiam, non, nisi solius consequentiæ
intelligant Patres, & Scholastici: contra vero à præ-
scientia, quæ tali formaliter ad futurum veram cau-
salitatem proxima testimonia admittant. Sed in pri-
mis testimoniis ipsis, legitimeque eorum ac genui-
na literalis explicatione vanam eam euasione esse per-
spicuum est. Secundo id ipsum quia siue causalita-
tem quam futuris respectu præscientiæ, quæ talis for-
maliter Patres, & Scholastici conspirato concedunt,
præscientiæ, quæ tali formaliter, respectu futurorum
negant: ergo sensu aliquo eodem (in quo solum ad-
uersatiua locutio esse potest) & concedunt, & ne-
gant: ergo nequit intelligi aduersatiua illa de quia
siue causalitate consequentiæ solius; aut sensu illius
quia continuatiue solum, vt tantum valeat, atque
& (vt sæpe in scripturis) quam futuro respectu scienti-
æ formaliter, quæ talis, concedunt, & huic respec-
tu futuri negant. Patet, quia causalitate consequen-
tiæ & ex præscientia formaliter, quæ tali, atque infer-
tur futurum, atque ex futuro eius præscientia: cum
tamen in illa ad futurum à Patribus negetur. Tertio
ad intentum Patrum, & Scholasticorum conciliandi
libertatem futuri cum præscientiæ certitudine, & in-
fallibilitate, causalitas consequentiæ, quæ mutua est,
& inter præscientiam, & futurum necessaria mutuo
reperitur, omnino erat inutilis: solaque causalitas es-
sendi, vel stricta, vel lata præsuppositione scilicet tan-
quam terminatiui, aut determinatiui, quam explicui-
mus, utilis est. Hinc etiam præcluditur euasio secun-
da: scilicet, solum intendi à Patribus, & Scholasti-
cis præscientiam Dei, formaliter quæ talem, causare
quidem futura contingentia, non tamen ita, vt eis ne-
cessitatem imponat: ita enim explicat Origenem &
ceteros S. Thom. quæst. 2. de veritate art. 14. ad 1.
quod eorum intentio est dicere: quod scientia Dei
non est causa, quæ inducat necessitatem in se, vt
ex hoc cogatur aliquid euenire. Sed cum eis testimo-
niis Patres reddant rationem, cur præscientiæ certi-
tudo & infallibilitas futuro præscito necessitate certi-
tudine, eiusque contingentiam, & libertatem non
inducat, si id solum intenderent, & dicerent, stulti-
de conclusionem, & intentum redderent pro ratione,
fædæque principium peterent. Recte autem ait S. Tho.
id solum dicere, & ratione sua intendere, ad quam
opus non fuit causalitatem propriam futuro respectu
præscientiæ, adhuc, quæ tali formaliter, deterre;
sed præscientiam suppositionis futuri, tanquam ter-
minatiui, ac determinatiui, vt diximus: atque insu-
per ipsam formaliter, quæ talem, prioritate aut præ-
suppositione vlla vera, quæ durationis non sit, sed na-
tura, vel quasi ad futurum non præcedere.

5. A ratione duo nobis opponunt aduersarij satis le-
uia. Primum verbum producit à Patre pro visionem
sui, ergo, & futurum per sui præscientiam. Antecedens
de visione verbi, formaliter, quæ tali falsum est: sed, est
verum, atque de fide esset, ex mysterio abditissimo ad
naturalem Theologiam, ridicula paritas est: alioqui ex
eodem mysterio mysterio vniuersale Platonico à parte
rei probabitur. Secundum est: quia scientia antecedens
determinationem voluntatis ad executionem futuri con-
tingentis, nec ordinatur ad opus, neque est libera: causa
autem contingentis, & libera esse debet, & ordinari ad
N n illud,

illud, & determinate potius, quam ad oppositum: negatur prima pars antecedentis. Ad cuius probationem nego causam directivam debere esse determinatam ad opus in agente libero, ut patet in nobis, si de determinatione determinante sit sermo. Quoad secundam de libertate distinguo: non est libera in se concedo eam partem: non est libera in causando primaria libertate fateor, secundaria à libertate voluntatis semper eius directionem determinantis nego: nec aliud verum asseritur in subsumpto, quod absolute falsum est. Nam causa contingentis, & liberi primario talis, potius debet esse indifferens ac non determinata adhuc libere.

6. Tertia denique solutio est: solum velle Patres præscientiam nudam, & secundum præscientie rationem solum, non esse causam rerum; esse tamen earum causam, ut ei adiungitur efficax contingentis futuri voluntas, ut aiebat S. Thom. loco recitato ex 1. p. sed primo percontor adversarios, de qua præscientia loquantur? an de ea quæ eiusmodi efficacem voluntatem dirigit? an de alia quæ ipsam supponat, nullamque proinde dirigit? Si de prima: illa utique præscientia, formaliter qua talis, de futuro non est, sed simplex scientia, nec futuri determinati potius quam non futuri; sed utrumque indifferenter representans, ac proinde egress voluntate, seu beneplacito diuino, ut ad futurum causandum determinetur, ut aiebant Doctores citati certam. 2. num. 2. fin autem de præscientia quæ decretum efficax de eius futuritione non dirigit, sed supponat, præscientia quidem, formaliter, qua talis, de futuro erit; sed non causa futuri: cum Dei voluntatem de illo efficiendo nullam dirigit, quo solummodo scientiam Dei causam rerum esse posse expresse S. Thom. 1. p. quest. 19. a. ad 4. *Scientia, & voluntas sunt causa eiusdem operis sed scientia ut dirigens, & voluntas ut operans*: secundo: præscientia futuri hæc nullam Dei voluntatem efficacem dirigens, sed supponens illud causarum sufficienter, & adæquate supponit etiam: quare neque illud causat, imo neque causare potest ordinaria providentia à qua superflue causalitates adæquate exulare debent: imo, in plurium sententia ab, extraordinaria etiam, providentia, & potentia absoluta: si ergo tota causatio futuri à præsupposito decreto efficaci de illo est, perinde erit causari à præscientia, ut coniuncta cum decreto illo, ac si dicas à musca, ut coniuncta cum decreto, vel cum igne causari futurum, vel calorem; totam enim causalitatem futuri de suo ponit decretum: ac proinde, licet aliud quoddam ipsi adiunctum, seu, cui ipsum adiungatur, nihil agat, verum est posito utroque causari futurum; sed tamen non inde colligitur partim esse inter utrumque futuri causationem. Similis igitur ea solutio, & propositio est illi, qua pauperissimi per iocum dicunt. Rex Hispaniarum, & ego triginta miliones aureorum, ex annuis redditibus habemus.

7. Sed, inquit, præscientiam causare futura, non, ut directionem voluntatis, sed, ut imperium, quod mediat inter voluntatem efficacem operis, & eius executionem, representando voluntatem efficacem Dei de eius effectione; sed primo hunc modum causandi scientiæ S. Thomas doctissime ignoravit, quest. 14. art. 16. ad 1. dicens: *Scientiam Dei esse causam quorundam actuum; aliorum, quæ non sunt virtute. Præscientia vero eorum, quæ non sunt causa non est.* Et ille plane est superfluum, cum solum Dei decretum sufficiat, ut ponat futurum: quod si absque eo imperio exequi illud Dei voluntas nequeat, per illud futurum, non est futurum in actu, exercito, sed ut decretum, & ut volitum à Deo representabitur: quare non erit præscientia futuri in se existentis pro sua duratione; sed decreti præsentis Dei: ergo non præscientia formaliter talis de futuro in se pro sua duratione existentis, de qua disputatur: & sane imperium hoc præscientiæ de contingentis futuro non habet ad quem dirigitur, quod omni imperio repugnat. Non nostris aliis potentiis, nec rebus ipsis, quæ ratione, & voluntate carent; non Dei voluntati, ut futurum exequi ef-

ficiat vellet, cum iam illud efficaciter prævoluerit fore: nec magis præstare possit, quam velle efficaciter, ut futurum sit, quod voluisse efficaciter supponitur. Denique, si præscientia siue, ut imperium, siue quouis modo causa futuri est præscientia Thomistica eius in æternitate ex æternitate superflue præsupposita, ut à Deo cognoscatur: si enim efficacia meæ visionis facerem hic præsentem rem, quæ Martiri exiit, præsuppositio eius Martiri necessaria non esset, ut hic eam cognoscerem. Contra secundo: quia præfata testimonia negant absolute causari à præscientia futurum, falsaque essent, si aliquatenus adhuc inadæquate, causarent: causas enim secundas, & Deum causare effectus, quos videmus, negare absolute non possumus, sed omnino fatemur; cum tamen solum partialiter & inadæquate tam Deus, quam cause secundæ illos producant. Contra tertio: quia etsi præscientia non sola, sed, ut coniuncta cum decreto, causent infirmiter, & infallibiliter futura iam ex parte Dei dabitur causa antecedens, & determinans antecedenter ad vñm arbitrii nostri futurum contingens; ac proinde aqua est saluandi, & componendi eius libertatem, & contingentiam, quam vt componant Patres, negant præscientiæ in futurum causalitatem: ergo eam ipsi negant, siue nudæ, siue coniunctæ cum decreto.

CERTAMEN V.

Ex fide, & ratione concordia præscientiæ cum futuri contingentis libertate asserta, & propugnata.

1. **C**oncordem esse præscientiæ æternæ Dei infallibilitatem cum prædictorum libertate docuit Augustinus 5. de Civitate cap. 10. his verbis: *Nullo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere libertatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare prædictum futurorum; sed utrumque amplectimur: utrumque fideliter. & veraciter consistitur: illud, ut bene credamus: hoc, ut bene vivamus.* Male autem vivitur si de Deo non bene creditur. Probat facile Augustiniana hæc nostra, & communis conclusio; quia, licet simul, & coniunctim tota, & integra à scriptura sacra non tradatur; alit viraque illius pars seorsum traditur. Deum quippe futura nostra contingentia, & libera præscire multis locis supra recitatis, recitandisque ex scriptura constat. Eorum autem libertas ex 15. Eccles. Apposuit tibi aquam & ignem ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi: imo multis aliis locis, quibus & opera meritoria, ac demeritoria nostra, eorumque præmia, & supplicia à Deo præscita in scriptura dicuntur: ergo utrumque coniunctim, & Dei præscientia de contingentibus; & eorum libertas, quam meritum, ac demeriti ratio includit, continentur: cuiusmodi sunt plura Exod. 3. Sap. 19. & alibi sæpe: quare, & Conciliis omnibus, quibus, & Deus omniscius, ac proinde, & contingentium præscius, & nostrarum actionum libertas, atque bonus, & malus bonorum exitus Deo prænotus, vel formaliter, vel virtualiter asseritur, definita hæc veritas censenda est.

2. Naturales concordie huius rationes omnes attigerunt Patres recitati. Prima sumitur ex principio apud eos omnes constanti, & hæcenus à nobis statuto, scilicet præscientiam, formaliter qua talem, non supponi ex parte causæ, & antecedenter ad futurum; sed potius illud iam futurum factum, & in se existens ac præsens